

4K. 129, 32b.

X 200 5056

Ya
4718

11. 625.

Σὺν τῷ θεῷ πωσόφω.

**GYMNASII
ISLEBIENSIS,
sub
Illustribus Comitibus ac Dominis
MANSFELDIACIS,**

*In Patriâ Beatissimi
LUTHERI,*

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ,

ex

Antiquis STATUTIS ac LEGIBUS deducta;
& ad statum præsentium temporum accom-
modata; nunc autem bono consilio
publici juris facta.



*Ex Officina typographica Illust. Com. Mansfeld.
Islebii per Petrum Kühnen.*

ANNO M. DC. XIX.





Ιδμονι γυμνάσιον μασῶν πεφυλαγμένον ἔσμῳ,
γεννᾷ ἰδμοσύνης ἀνέρας ἀπλανέσθ,
οἱ ποτὲ γίγνοντα φρόνιμοι, βεληφόροι, ἔσθλοί,
ἠρώων κλειτῶν ἐν χροῖ, ἠδ' ἔδεξ.
τοῦνεκα σκηπτῶσ πολλῶν ἀντάξιθ ἄλλων,
πατρίδι ἐν γαίῃ δώματα δεῖα τιθεῖς,

Palladis ornatum divinâ laude Lyceum,
Extrudit claros arte valente viros,
Qui praesint, rebus Templiq̄, Scholâq̄, dicati,
Regibus, & Dominis, qui pia sceptrâ regunt.
Ergò Dynasta decens multos supereminet Heros,
Qui rigat in patrio nectare rure Scholas.

En Schul/die recht vnd wol bestellt/
Vaget viel glehrt Leut in diese Welt/
Die eins mals trew Regenten werdñ/
Bey G D E vnd Fürsten hie auff Erdn:
Drumb ein Herr billich rühmens werth/
Der Kirch vnd Schul fördert auff Erde.



CONSISTORIUM
MANSFELDENSE,

RELIGIONIS ILLIBATÆ,

Nec non

ARTIUM OPTIMARUM, UT ET

LINGVARUM, CVPIDÆ

Juventuti,

Σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάριν παρὰ Θεῶν,
καὶ ἀνδρώποισι.



Nter magna valdè, & multa nimis, quæ in Ecclesiam, Christi nomine celebrem, J E H O V A ter max. ter opt. beneficia contulit, hoc sanè loco poni haud postremo debet, quòd, præter præclarum sinceræ, ac salutiferæ doctrinæ κεμύλιον, hodieq; nostris item in ditionibus quamplurimi Juventutis studiosæ cætus, seu Scholæ dantur; ubi & prima, simul artium, simul linguarum rudimenta, unà cum pietate, ac moribus bonis, addiscunt pueri; & disciplinarum majorum, quæ in Academiis tradi consueverunt, auditores præparantur diligentissimè, felicissimè. Siquidem cum Scholæ ipsæ, unanimi omnium rectè judicantium consensione, domus sint eruditionis, officinæ ornatî sermonis, & ludi tales, in quibus corrupta hominis ratio corrigitur, instruitur, ornatur, stabilitur. Hinc adeò, ut mundus hîc Sole; sic Politia Ecclesiastica, imò etiam justa Reipub. constitutio, rursumq; domus, ac familia dextrè regenda, carere Scholis

parte nullâ potest. Ad *σάωσιν* certè, atq; *ἱερμνευτικὴν* re-
rum sacrarum δύναμιν, nec non τῶν ἀνύλεγοντων ἔλεγχον (si-
ne quibus adminiculis tangi equidem pietatis aliquâ,
& conscientiæ purioris, religione homo potest, Theo-
logi autem, δυνατὸν παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιανύσῃ,
καὶ ἐπισομίζεν ἀτάκτους, καὶ ἀνυποτάκτους, ματαολόγους, καὶ φρε-
ναπάτας, obtinere, ac tueri nomen planè nequit) ne-
cessaria quàm maximè linguarum cardinalium cognitio,
in quibus scriptura θεόπνευστος à Prophetis, atq; Apostolis,
ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ φερομένοις, conscripta; quibus τῶν ἀμα-
θῶν, καὶ ἀσκήκτων *σρεβλοῦ*, *κυβείαι*, *πανουργίαι*, *μεθοδῆαι*, *σοφίσμα-
τα*, καὶ *πρατολογίαι*, deteguntur; quas scholarum beneficio,
juvenilibus annis ex præceptoribus fidis imbibi, ratio
est commodissima. Ac licet disciplinæ reliquæ, Logi-
corum puta, Ethicorum, Physicorum, atq; Philologo-
rum, subjectæ, ceu Hagar ancilla Saræ, literis, ac scriptis
Biblicis; informant tamen, & linguam, & iudicium, ca-
ptusq; humani imbecillitatem, τῷ τῆσ' ἐπισίμησ', καὶ ἐξηγή-
σεως τρόπῳ, non parum sublevant. Sic de statu Politia-
rum, ac Reipublicæ, ut aliquid saltem delibemus, sublatis
Scholis, ad DEUM, pietatem, ac religionem, nunquam
cogitationes suas, & consilia referet Magistratus. Non
expectare à civibus suis Respublica poterit ea, vel fortu-
næ, vel animi bona, quæ à studiis liberalissimis, homini-
busq; eruditissimis, ad voluntatem aliàs profluere so-
lent, quorum ope, ac interventu regna & imperia pro-
longantur, civitates firmantur, atq; , teste Platone, toti
hominum generi ad optatissimam malorum requiem, &
felicitatem summam, ampla admodùm, certa q; maximè,
via patet. Rursum Ecclesia, vel debitis destituetur Hal-
cyoniis,

cyoniis, ac incertis semper vagari sedibus cogetur; vel,
non sine damno præsentissimo, inq; sui ipsius fraudem,
contagione abominandâ, damnandâ, contaminabitur ab
iis, quibus-cum vivere illi, ac conversari cotidie obtin-
git. Familiaris autem res si annorum progressu non in-
juriôsè tractari, imminuivè debet, iterum sanè in Scho-
lis ea comparanda ætate juvenili continentia, modera-
tio, & ἀυτάρκεια est, quæ in pervulgatâ nimio perè cætero-
rum insolentiâ, luxu immodico, effrenatâq; morum dis-
solutione, τὰ βιωτικά justè acquirat; acquisita optimè col-
locet; τὸ δὲ περισσεύσασθαι circumspèctè conservet; ut mutua
ex omni latere appareant officia, & uterq; , tam civilis,
quàm oeconomicus ordo, suis sibi undequaq; constet re-
ctè partibus, ac floreat. Considerârunt hoc secum men-
te Generosâ, Illustrissimi & Nobilissimi Domini, ac Co-
mites, Domini ac Comites in Mansfeldt, Nobiles Domi-
ni ac Dynastæ in Heldrungen, & respectivè Seeburgk, at-
que Schraplau, Domini ac Comites nostri debitâ animi
subjectione colendi; qui; ut Ecclesiæ, Reiq; publicæ, eò
tranquilliora Halcyonia præberent, atq; ipsorum socie-
tati hominum conciliandæ majoris salutis gloria, non
obscuraretur ullâ ex parte, potius verò illustraretur un-
diq; , & novis ampliorum aucta commoditatum acces-
sionibus propagaretur; Ea propter, simul erectum ante
annos plurimos, de consilio LUTHERI Beatissimi, ex hoc
Comitatu, atq; oppido oriundi, à Majoribus laudatissi-
mis Gymnasium, ad hodiernum usq; diem sartum te-
ctum, non sine munificentia insignis dotibus magnificis,
conservârunt diligentissimè, sanctissimè; simul verò,
ne παραπτώματα, καὶ σφάλματα, quæ subindè in Scholas
irrepe-

irrepere solent, ac quibus juvenus decorum suum, atq;
officium negligit, radices sumant, inq; immensum excre-
scant, & Legum Scholasticarum Revisionem accuratam,
& Lectionum publicarum διαγραφὴν exactam, institui, &
apertam in lucem proferri, jusserunt. Quorum Gene-
rosæ Voluntati ut nostro loco debitâ cum summissione,
animi satisfaciamus, omnibus, atq; singulis Religionis
illibatae, nec non artium optimarum, ut & linguarum
cupidis Juvenibus, quibus tum Gymnasii Islebiiensis, tum
Patriæ Lutheri Beatissimi, commoditatibus uti, & ad nos,
mercaturæ literariæ causâ, conferre sese volupe est, hac
Tabellari quasi primariarum Gymnasii nostri Lectionum
ἐπιτομῆ, quam mox subsequitur specialis Lectionum
& exercitationum singularum διατύπωσις, unâ cum sta-
tutis, ac Legibus antiquis, significamus, cum exteris,
tum indigenis, ad capeffendum uberiores τῆς εὐσεβείας,
καὶ παιδείας fructum, expeditos, paratosque hîc aditus,
neque opportunitatem ad studia prosequenda cuiquam
frugi adolescentulo apud nos defuturam esse. Cætera
J E H O V A M ter Opt. ter max. ardentibus votis suppli-
ces veneramus, obortis per Germaniam fermè univer-
sam belli tumultibus, potentissimam, benignissimam
medelam in tempore opportuno afferre; patriæ nostræ
Patres, unâ cum totâ Mansfeldicâ domo, manu suâ for-
tissimâ tegere; atq; Ecclesiæ suæ semper dilectæ gratiâ
Sancti Spiritus adesse ἀδιαλείπτως, dignetur; quò & do-
centes, & discentes dicant, & faciant, quæ ad nominis
divini gloriam, nostrorumq; ac plurimorum aliorum sa-
lutem, vergere possint, tam temporalem, quàm æter-
nam. P. P. ISLEBII MANSFELDICORUM. d. 6. Julii.
Anno Æræ salutiferæ M. DC. XIX. Lectio.

Lectioⁿum Primariarum

ἑπιτομή.

IN THEOLOGICIS.

I. Leonh. Rechtenbach S. S. Theol. D. ac Superint. Gener. Comit. Mansf.; 1. Propositurus singulis Septimanis, horis duabus, ἑποτάπωσι Harmonia Symbolica, ac præcipuarum S. S. Theologia Determinationum, aut Responsionum, quoad controversas maximè Quæstiones Christianæ Fidei;

2. Alternatim explicabit, & examinabit Συναγωγίῳ Biblicam Generalem; 3. Singulis mensibus disputatione publicâ usum prædictarum Determinationum commonstrabit.

II. Absente autem Superintendente, vel expeditionibus aliis Ecclesiasticis præpedito, Pastor Ecclesiæ Andreana, proponet, 1. Brevem historiam sacra, & Ecclesiastica Synopsis; 2. Theologico-Logicam Evangeliorum, atq; Epistolarum Anniversariarum Analysin.

III. M. Joh. Rhenius Rector, 1. Compendium Theologicum Hutteri pro lectione tractabit; 2. Analysin succinctam Augustanæ Confessionis, necnon Formulæ Concordiæ, præeunte D. Hutteri Compendio, & pro uberiore ejusdem explicatione, adjunget; 3. Locum Theologicum prius explicatum in disceptationem trahet, ut objectiones, & dubia dissolvere discipuli fideliter perdiscant, & ab ineunte quasi aetate, controversiarum communiorum, & classicarum, tam veterum, quàm neotericarum, πρόγευσμα quoddam habeant.

IN

IN IVRIDICIS.

Si quâ idonei dabuntur Auditores, proponetur à Consistoriali Politico extraordinariè, Analysis & Exegetis brevissima Institutionum Iustinianearum.

IN MEDICIS.

M. Rhenius: Libellum de animâ extraordinariè explicabit.

IN PHILOSOPHICIS.

I. *M. Joh. Rhenius Rector, 1. Logicam Peripateticam, partim ex suâ Sylloge, partim ex Compendio, pro captu discipulorum, enarrabit. 2. In Materiâ sub manu versante instituet velitationem disputatoriam, juxta disputationes Brunonis Becceri nuper ab ipso editas; 3. Meridianum tempus, ut & diei Sabbathi, quod aliàs à publicis operis liberum relinquitur, tribuet alternatim & successivè, vel prælectionibus, vel disputationibus, in doctrinâ Physicâ, & Ethicâ; 4. Rhetorices institutiones ex suo Compendio declarabit, ita ut simul usum illarum in Oratione quâpiam Ciceronianâ, pro lubitu vel ipse præmonstret, vel à superioribus Analysis Marte proprio constructam reposcat, examiniq; accuratiori subjiciat.*

II. *Superiores tres Præceptores, à festo Paschatis usque ad Michaëlis, diebus Mercurii & Sabbathi, horâ Nonâ usq; ad decimam, per vices anniversarias, explicabunt extraordinariè, ac breviter doctrinæ Sphæricæ principia.*

III. *Intermedii autem tres præceptores, dicto jam tempore, atq; ordine, declarabunt initia Arithmetica, monstrato simul usu per pleniorum exemplorum inductionem.*

IV. *Cantor Sanct-Andreanus, Musices Theoriam declarabit, in primis naturam, & usum Tonorum, atq; Modorum, in simplici,*

*simplici, & Figurato cantu, cum justâ, & expeditâ cantionum
intonatione, ut superiores ad dijudicandas, & regendas cantio-
nes in Choris Ecclesiasticis, & alibi, præparentur.*

IN LINGVIS.

*I. M. Andreas Mercelius Corrector; Hebræam Grammati-
cam Schindleri explicabit, & praxin Linguae istius Sacrae, nunc
in Psalmis certis, nunc in aliquot prioribus capitibus Geneseos,
ostendet; 2. Præcepta Grammatices Græca, unâ cum varietate
Dialectorum, & Syntaxeos Græcanicæ peculiari proprietate,
proponet, urgebitq̄, commonstrando simul usum in Græci ali-
cujus authoris, ut Plutarchi, Isocratis, & Demosthenis scriptis,
aut Orationibus, alternativè; 3. Enucleabit Metaphrasin Non-
nianam Johannis, & illâ absolutâ, libros certos Homeri, vel Odas
aliquot primarias Pindari, ut & Græca Poësis studiosæ juven-
tuti familiarior, & gratior reddatur, ipsiq̄ discentes, in quibus-
vis autoribus rectiùs intelligendis, expeditiores evadant; 4. Of-
ficia Ciceroniana explicando, Rhetoricum simul, & Ethicum
usum, præter Latinitatis elegantiam, ostendet.*

*II. M. Joh. Rhenius R. 1. Virgilij Poëmata enarrabit, Poë-
tices artificium, & proprium inter cætera, ac post Analysin
Grammaticam, Logicam, Rhetoricam, Mythologicam, Ethicam,
&c. commendans; 2. Comædias Terentianas petraetabit, sic ut
certâ Comædiâ ad umbilicum perductâ, Odas Horatianas ali-
quot selectiores interspergat, ob varia Carminum genera, Poë-
seos studiosis scitu maximè necessaria.*

DE STYLI EXERCITIIS.

*I. Rector in solutâ, Corrector in ligatâ Oratione, quoad
utramq̄, cum Latinam, tum Græcam Linguam, materias pro-
ponet,*

ponet, quæ domi à discipulis elaboratæ, ab utroq; conjunctis studijs in Scholâ accuratius cognoscantur, emendentur.

II. Emendatio non sit muta, sed necessaria admonitiones interspergantur, ut hi, qui exhibent, intelligant, quomodo, & quâ in re peccaverint, & alia similia vitia fugere discant.

III. Interdum in ipsâ Præceptorum præsentia, breve Thema, vel in formam Apophthegmatis, Chreias, vel Historiæ, aut etiam locus notabilis ex scriptore classico, maximè ex Chronicis Carionis, quem libellum familiarissimè cognitum inventuti esse oportet, in aliud linguæ genus, aut ex vernaculo in Latinam, indeq; in Græcam, aut vice versâ, ἐκ τῆς παροχθῆμα transfundetur, ut quisq; suâ, non alienâ, niti consuescat industriâ.

IV. Exercitia Declamationum utriusq; linguæ, in prosâ, & carmine, singulis quadrantibus anni in publicâ πανηγύρι re-citandarum, ab utroq; supremo Præceptore præscribantur, & gubernentur, ita ut Rector Latina, Corrector Græca dispiciat.

V. Ad Latinè loquendum superiores duæ classes strictè adhibeantur, & negligentes Latinitatem notentur, ut postea apud Præceptores recitatione, vel aliquot versuum ex Homero, & Hesiodo; vel etiam aliquot dictorum Scripturæ; vel certè Themate aliquo questionis simplicis, per Dialecticam Methodum ducto; sese liberent.

II.

SERIES SPECIALIS

Lectionum, & exercitiorum in Gymnasio Is-
lebiensi, secundum Classium, atq; Hora-
rum ordinem.

Discentium cætus omnis in Sex Ordines distributus est. Omni-
bus, & singulis Scholasticarum operarum pensis Preces ordina-

ordinaria, cum lectione capitis Biblici, juxta constitutiones antiquas, præmittuntur, eademq; Psalmodiâ figuratâ concluduntur.

I. ORDO.

In hunc ordinem illi tantum recipiuntur, qui Grammaticum studium aliquo modo absolverunt, atq; cum fructu non contemnendo in Logicis, Rhetoricis, & Græcis, imò etiam in Theologicis, exerceri possunt.

Diebus Lunæ & Martis.

Horâ 1. & 3. matutinâ Rector ex suâ Sylloge & compendio, pro captu singulorum, Logicam tradit Peripateticam: sic, ut priori die singulorum præceptorum justam rationem reddat, eademq; optimis exemplis illustret; Postridie verò horâ primâ à discipulis tradita prius reposcat; postremâ autem ex iisdem velitationem disputatoriam in illâ ipsâ materiâ adornet.

Intermediâ horâ Corrector Grammaticam Græcam, cum primis verò Declinationum, & conjugationum formas, cum varietate Dialectorum, & Syntaxis Græcanicæ proprietate peculiari, proponit, simul & usum illorum commonstrans in Græci alicujus auctoris scripto.

A Meridie.

Hora 1. Cantor Sanct. Andreanus Musices Theoriam declarat, & superiores ad regendas cantiones præparat.

2. Corrector Officia Ciceroniana, methodo superius notatâ, explicat.

3. Rector utriq; ordini, tam primo, quàm secundo, Virgilii Poëmata enarrat.

B 2

Die

Die Mercurij.

Duae horae matutinae exercitijs styli destinatae sunt, & quidem prior ante concionem, (nimirum tempore hyemali à 6. usq; ad 7., aestivo verò à 5. usq; ad 6.:) posterior deinde post concionem; eâ lege, ut Rector in solutâ, Corrector in ligatâ oratione, quoad utramq; tum Latinam, tum Graecam Linguam, materias proponat, quae his ipsis horis, atq; ordine prius constituto, accuratiùs cognoscuntur & emendatur.

Meridianum tempus, ut & diei Sabbathi, aliàs à publicis operis liberum, tribuitur Lectionibus, ac Disputationibus Extraordinariis.

Die Jovis.

Horâ 1. Rector Rhetorices Institutiones declarat; Tertiâ verò usum illarum prae monstrat in Analysis Ciceronianarû orationum: Corrector horâ intercedente 2. in Graeco suo autore, superiùs praescripto modo, progressum facit.

Die Veneris.

Horâ 1. Compendium Theologicum Hutteri à Rectore examinatur, ut vera, & solida fundamenta Confessionis illibata nostrarum Ecclesiarum inde discentes maturè degustent, & simul definitiones, simul divisiones necessarias, ac usitatas ediscant, memoritèq; recitare assuescant.

Exinde horâ 3. Locus Theologicus prius explicatus in disceptationem trahitur, ut eò facilius dubia dissolvere discipuli fideliter perdiscant.

Horâ 2. intermediâ Corrector Hebraeam Grammaticam Schindleri explicando pertexit.

A Meri-

A Meridie utriusq; diei, Jovis & Veneris.

Horâ 1. Musica practica ab ordinario Cantore exercetur, ita ut circa illam Solmisatio in omnibus prius urgeatur, quàm textus ipse applicetur, quò juxta rationes modulari assuescant rudiores; Cui exercitio Marentij opus non incommode inservire potest.

2. Corrector Metaphrasin Nonnianam Joannis, vel alia ad Græcam Poësin spectantia, enucleat.

3. Rector Comœdias Terentianas cum utrâq; classe pertrat, interspersis nonnunquam Odis aliquot Horatianis selectioribus.

Die Sabbathi.

Horâ 1. Rector, juxta Augustanam Confessionem, necnon Formulam Concordiæ, Controversias communiores, & classicas, tam veteres, quàm neotericas, in Thesi, & Antithesi, operiosius deducit.

2. Scripta corriguntur ab utrôq; superiori praeceptore.

3. Corrector in lectione Ebraâ pergit: & simul praxin ostendit.

His accedunt & extraordinariæ lectiones, tam Theologica, quàm & Philosophica, Iuridica, Medica, &c., de quibus supra.

II. ORDO.

Ad hunc Ordinem provehuntur, quibus & accuratiùs primæ artis fundamenta traduntur, & quos, post jacta fundamenta Grammatica, ad fontes Latini sermonis, necnon tersissimorum autorum lectionem, ut & principia Græcæ Lingua, deduci, & invitari oportet.

B 3

Diebus

Horâ 1. *matutinâ* Corrector *Etymologiam*: Die *Jovis Syntaxin*: *Veneris*, *Prosodiam*, ex *Rhenij Compendio Lipsicæ* correctioris editionis, proponit, itaq; inculcat, ut ad ediscenda præcepta *Juventus* adigatur. Die demum *Saturni Compendium Theologicum Hutteri* explicat, & *adolescentes* ad ediscendas definitiones, & divisiones necessarias, assuefacit.

2. Horâ, diebus *Lunæ*, *Martis*, *Jovis*, *Tertius* *Epistolas Ciceronis* faciliores, & selectiores enarrando, usum præceptorum *Grammaticæ*, cum *phraseologiâ*, ostendit: die *Veneris* *nuda Capita Græci Catechismi*, cum *Symbolis Oecumenicis*; proponit.

3. *Quintus*, *Grammaticam Græcam Clenardi* die *Lunæ*, & *Martis*: die *Jovis*, & *Veneris* ex *Evangeliorum anniversariorû Pericopis Græcis* usum præceptorum, cum primis in *Declinationibus*, & *Conjugationibus*, ut in illis perfecti evadant, acuit.

Ab extraordinariis autem *Lectioibus Theologicis* non segregantur hi *Scholastici*, sed equali jure cum *Primanis* fruuntur.

A Meridie.

Horâ 1. *Musica Practica*, & diligens solmisatio, per *Cantorem* exercitatur, tam quoad *cantiones figurales*, quàm quoad *cantiones planas*, seu *Chorales*, ut vocant, quas decenter decantari itidem quammaximè convenit.

2. *Tertius* die *Lunæ*, *Martis*, & *Jovis*, *Historias sacras Fabricianas* explanat, & *Grammaticè* examinat, ut præter *Latinitatem*, prægestum *Biblicarum Historiarum* inde hauriant: Die *Veneris* certum caput ex *Nomenclatore Zehneri* prius propositum requirit, & ad *regulas Grammaticas* accommodat.

3. *Rector* eosdem cum *Primanis* in *Virgilianâ*, & *Terentianâ* prælectione conjungit, eo tamen discrimine, ut tum *Grammaticam*

ticam difficiliorem, tum Latinitatem politioem, hisce instillet, quò instructiores, & cultiores inde ad Primam Classsem, cum majore fructu, in Examinibus semestribus transferri queant.

Diebus Mercurij, & Saturni.

Horis superius circa 1. Ordinem praefinitis, stylus ab iisdem exercetur, idq; non nisi ad imitationem praefectarum Epistolarum, & Historiarum Sacrarum, materiam Tertio dictante, Quinto verò correctionem adjuvante.

Non raro etiam transpositi versus domi restituendi rudioribus proponuntur; pariter ut majoribus, quiq; ad Primam Classsem adspirant, subinde Carminis alicujus exhibitio injungenda, ut initia componendorum versuum habeant.

*Interdum & succinctum exercitium in ipsa Scholâ propositum, & praesentibus Praeceptoribus, viamq; simul in difficili-
oribus indicantibus, conversum, ad limam è vestigio revocatur.*

Neutri autem Praeceptorum, ante ultimum ultimæ horæ tactum, praesq; peractas, à discipulis abire licet.

III. ORDO.

*In hoc Ordine consistunt, qui ad pleniora jam exercitia Grammaticæ, ac Latini sermonis, provehendi, adeoq; libellis, sup-
peditantibus aliquam varietatem vocum, & formularum Latina-
rum, extimulandi.*

*Horâ 1. Diebus Lunæ, & Martis, Tertius Etymologiam:
Die Jovis Syntaxin Rhenianam Lipsensis editionis:*

*Die Veneris idem Tertius nuda paradigmata Græca simpli-
cium Declinationum, cum conjugatione verbi τῦνω, perpetuâ
exerci-*

exercitatione eis inculcat. Quibus interdum ex nudis capitibus Græci Catechismi exempla semilia adjunguntur, tabulae inscripta.

2. Diebus Lunæ, Martis, Jovis, & Veneris Cantor Petro-Paulinus Epistolas Ciceronis, à Sturmio collectas, post diligentem, atq; aliquoties iteratam interpretationem, ad Examen Grammaticum revocat, sed eo tamen modo, ut à pueris nihil requirat, nisi ipse eis prius singula verba & Phrasès Etymologicè, & Syntacticè, bis vel ter præeundo, resolverit. Usus cujuslibet Epistolæ statim eis monstratur quibusdam phrasibus Latinogermanicis, quæ vel ad calamum dictantur, vel tabulae publicæ in Scholâ inscribuntur, ut sic etiam Latinam & Germanicam Orthographiam rectiùs addiscant.

Quotidiè etiam circa finem horæ ex eadem Epistolâ, aut ex certâ regulâ Syntacticâ, ad formam Tyrocinii, illis novæ phrasès Germanicæ præscribuntur, quas domi cum suis Pædagogis componant, & postridiè in Scholam secum afferant.

3. Diebus Lunæ & Martis Cantor Andreanus ex singulis terminationibus, tertiæ præcipuè declinationis, juxta præscriptum ordinem Donati Rheniani Lipsiæ excusi exempla quamplurima inflectentes audit, singulâq; ad regulas de Genere applicat. Sic difficultatem illam de Quantitate penultimæ genitivi absq; magno labore feliciter superabunt.

4. Die Jovis, & Veneris ab eodem in verbis conjugandis, ex sententijs Biblicis, præmissâ aliquoties iteratâ interpretatione, exercentur. Sic eò facilius, & maturius illas ediscere possunt.

5. Cum verò pueri hujus decuriæ diebus Veneris in templum ingrediantur, & de hujusmodi exercitijs aliquid decedat, supplendum illud est, horâ ultimâ matutinâ, ut illâ redeat præceptor, & hâc horâ Classes, quæ alioqui conjunctæ sunt, disjungantur, ac Tertianis Syntaxeos exercitium proponatur.

Horis

Horis Pomeridianis.

1. *Musices præcepta generalia, & communissima, breviter comprehensa, unà cum Solmisatione, in auditorio minori à Cantore S. Nicolaj expediuntur; ita tamen, ut interdum etiam hi, unà cum alijs classibus, ad exercitia Musica adhibeantur.*

2. *Cantor Petro Paulinus explicat Sententias Zehneri, indeq̄ repetitionem Grammaticam instituit, & usum, phrasibus quibusdam ad calamum dictatis & recognitis, monstrat, ut supra de Epistolis monitum fuit.*

3. *Diebus Lunæ & Martis à Tertio Tirocinium Rhenii, post interpretationem, ad Syntacticas regulas applicatur, domiq̄ lectionem eandem, apposita Germanicâ versione, describere jubentur, & postero die Præceptori exhibere.*

4. *Diebus Jovis & Veneris ab eodem Tertio Prosodia Rheniana explicatur, & usus illius in versu quodam Hexametro ex Zehneri sententijs demonstratur, quem eundem versum Prosodicè resolutum, auxiliantibus pædagogis, in Chartam conijcere, & postero die secum in Scholam afferre jubentur.*

5. *Die Mercurii à concione sacrâ Cantor Andreanus scripta emendat, quæ nihil aliud sunt, quàm phrasæ ex quovis Evangelio Dominicali concinnatæ, ut pædagogi illorum domi occasionem habeant, hunc textum suis discipulis interpretandi, & Grammaticè resolvendi. Poterunt autem Styli exercitia interdum & accommodari ad materias, quæ præleguntur.*

6. *Die Saturni horâ 1. auscultante Cantore Petro Paulino, certa particula Latini Catechismi, unà cum sententijs Evangelicis, præmissâ cursoriâ interpretatione, memoriter recitatur.*

2. *Novam lectionem ex Latino Catechismo illis aliquoties interpretatur, & resolvit Cantor Andreanus.*

C

3 Idem

3. Idem Cantor Andreanus phrases, ex sententijs Evangelicis, vel certâ parte Catechismi, dictatas, recognoscit, & emendat.

3. Post Meridiem diei Saturni, à precibus vespertinis, Tertius, Cantor Andreanus, Cantor Petro Paulinus, Cantor Nicolaitus, singuli singulis trimestribus, Evangelium Latinum sequentis Dominicæ interpretantur, & analysi Grammaticâ illustrant.

IV. O R D O.

In Quartam Classem transferuntur, qui expeditam legendi & scribendi rationem, necnon Catechismum Germanicum, ut & Etymologiæ initia, unâ cum modis Declinandi, & Conjugandi, tenent.

Singulis horis præmittitur Oratio Scholastica.

Hora 1. Diebus Lunæ, & Martis pauca tantum generalissima, & facilima quæq;, ex Etymologiâ:

Die Jovis, & Veneris ex Syntaxi Rhenianâ Lipsiensis editionis, à Cantore Nicolaitano his pueris instillantur.

2. Die Lunæ, Martis, Jovis, & Veneris Evangelium Latinum sequentis Dominicæ, sive totum, sive ex parte, ab eodem Cantore Nicolaitano interpretatione Germanicâ, & analysi Grammaticâ, illustratur, imprimis verò sententiæ illæ, quas memoriæ mandare debent.

3. In Declinandi, & Conjugandi exercitatione, cum Tertianis à Cantore Andreano conjunguntur.

A Meridie.

Horâ 1. In Musicâ Tertianis associantur à Cantore Nicolaitano, ut & hic ordo Musices præcepta degustet, atq; animus post cibum excitetur.

2. Ca-

2. Catechismus Latinus explicatur; & examinantur inde præcepta Grammaticæ; exercentur ex eo Declinationes, & Conjugationes; & demum phrasæ Latinogermanicæ ex certâ lectione tabulæ inscribuntur, & descriptæ recognoscuntur, atq; denuò exponuntur à Cantore Nicolaitano.

3. In Tirocinio cum Tertianis eandem operam navant, docente Cantore Petro Páulino.

Die Mercurii Phrasæ Germanicæ, ex Catechismo præscriptæ, emendantur, & ore tenus ampliùs variantur, & per plures modos, vel personas, ac Tempora deducuntur, à Cantore Nicolaitano.

Die Sabbathi Horâ 1. Sententias Germanicas ex Evangelio Dominicali, in libello sententioso Rheniano præscriptas, recitant, aut etiam Psalmi aliquam partem ex eodem libello, auscultante Cantore Nicolaitano.

2. Cantor Andreanus eam partem Latini Catechismi, quam per totam septimanam tractârunt, brevi repetitâ interpretatione, recitantes audit.

3. Phrasæ, ex Sententiis Evangelicis præscriptæ, emendantur, & latius deducuntur, à Cantore Nicolaitano.

Horâ consuetâ pomeridianâ in explicatione Evangelii Latini cum Tertianis conjunguntur.

Nota. In Minore Auditorio, quod Tertianos, & Quartanos continet;

Manè post consuetam cantionem, & preccationem scholasticam, Tertianus quispiam integrum aliquod caput Latini Catechismi clarè, & distinctè pronuntiat, cæteris omnibus, utriusq; Classis pueris, attentè auscultantibus:

Ante Scholæ missionem, similiter alius Tertianus, sententias illas sacras Latinogermanicas, ex sequenti Evangelio, in sententioso libello præscriptas.

Meridiè Quartanorum aliquis, consuetis operis præmittit Psalmum certum ex eodem libello, cum precatatione Scholasticâ: Et demum, ante discessum, alius Quartanus idem illud caput Catechismi Germanicè subjicit, cum vespertinis precibus.

Ex hiscè duobus ordinibus deliguntur etiam pueri, qui publicè in templo diebus Dominicis certa capita ejusdem doctrine puerilis pronuntiant, ut ad dicendum in publico assuescant. Gubernatores autem horum inferiorum Ordinum, operam item dare debent, ut in interpretatione autorum, non tantùm sententiam paraphrasticè reddant; Verumetiam singularum vocum significationes propriè exprimant, ut vim vocabulorum rectè pueri intelligant.

V. O R D O.

**Continet pueros Catechumenos pariter,
& Donatistas.**

Premissis precibus matutinis, & capite aliquo Germanici Catechismi clarè lecto;

Horâ 1. Die Lunæ, Martis, & Mercurii ediscunt, ac recitant Germanicum Catechismum, cum questionibus adjunctis, præsentè Septimo Collegâ Scholæ.

Die Jovis, Veneris, & Sabbathi Psalmos recitant, eodem auscultante.

2. Die Lunæ, Martis, & Mercurii Declinationes Donati Rheniani Lipsicæ editionis exercent, Præceptore Cantore Andrea-no; Die Jovis, Veneris, & Sabbathi Conjugationes, eodem præsentè.

3. Legunt,

3. Legunt, & se mutuò interrogant vocabula Latinogermanica ex Donato, eadémq; ad Declinationes, & Regulas de Genere, in Donato additas, accommodant: Domi verò eam lectionem describunt.

Die Jovis, & Veneris Latini Catechismi nuda capita ediscunt, & domi describunt.

Meridie.

Post Cantionem: Erhalt vns HERR bey deinem Worte/ & recitationem precum usitatarum, ac Psalmi alicujus, necnon orationis Scholasticae,

1. Scribendi exercitium moderatur Octavus.
2. Donati vocabula rursus se mutuò interrogant ex aperto libro, ut supra horâ 3.
3. Dicta Biblica ex sententioso libello, vel Evangelium, ordine aliquoties legunt, & partem aliquam ediscunt; Domum abituri caput aliquod Catechismi recitant clarâ voce, cum precibus vespertinis.

Omnes eosdem habent libellos, & eandem lectionem.

VI. ORDO.

**Continet Elementarios, qui literas noscere,
& syllabas colligere discunt.**

Horâ 1. Catechismi capita nuda, cum precibus matutinis, vespertinis, & mensalibus, ex præcinente addiscunt, quæ diebus Mercurii, & Saturni singuli recitant, auscultante Octavo præceptore.

2. Principia legendi, in tabulâ publicâ, oculari demonstratione illis exhibentur.

C 3

3. Vocabula

3. *Vocabula Rhythmica, vel tabule asscribuntur, vel praeleguntur, & postea reposcuntur, ut aliquem thesaurum vocum colligant, & simul memoriam exerceant.*

Domum abituri, unus clarâ voce recitat Benedictionem mensa.

Meridie horâ I. Ad scripturam assuescunt, praesente praetore in tabulâ publicâ. Et sufficit quotidie una tantum litera, quam ut rectè, & eleganter discant pingere, ductum scriptitantium ipse informator pueritiae, qui huic exercitio praest, studiosius inspiciat, formet, emendet.

2. *Principia legendi eis iterum in tabulâ monstrantur.*

3. *Sententias Evangelicas, & duo, vel quatuor vocabula ex praecinente ediscunt.*

Domum abituri, cantionem aliquam Lutheri canunt, cui subiiciunt vespertinas preces.

Quæ omnia J E H O V A ter maximus, ter optimus, divinâ suâ gratiâ, benignè dirigat, fortunet, Amen.

III.

D I S T R I B U T I O O P E R A R V M Scholæ ISLEBIENSIS, iuxta ordinem Collegarum.

I.

RECTOR GYMNASII,

H *Orâ Sextâ, Æstate; Septimâ, hyberno tempore; in primâ Classe operas Scholasticas orditur; ac horâ illâ, diebus quidem Lunæ, & Martis, Logicam Peripateticam; Jovis verò, Rhetorices Institutiones, declarat.*

Sequenti horâ Octavâ, Æstate; hyeme, Nonâ, usum Praeceptorum

ceptorum monstrat; partim velitationem disputatoriam instituendo; partim ex Oratione quâpiam Ciceronianâ Analysin, aut dictando pro lubitu, aut Marte proprio constructam reposcendo, à superioribus præsertim, eandemq; accuratiori subiiciendo Examini.

Semper autem unius anni spacio libellorum Dialectices, & Rhetorices explicatio absolvitur.

Horâ secundâ à Meridie, Virgilium diebus Lunæ, & Martis; Diebus Jovis, & Veneris Comædias Terentianas, aut etiam Epistolas Ciceronis Familiæres, necnon interdum Odas Horatii selectiores, primæ & secundæ Curie conjunctim enarrat; ita quidem, ut nihil prætermittatur, quod ad repetendas & inculcandas omnium partium Grammaticæ Regulas spectat; metrorumq; ratio in scandendis, ut vocant, versibus exigatur; commonefactiones item fiant, de Elegantiâ & proprietate Latinæ Lingvæ, ac de discrimine phrasium, quæ in solutâ, quæ in ligatâ oratione tantum, quæ verò in utroq; genere, usitatae sunt.

Die Mercurii, horâ Quintâ, Æstate; Sextâ, hyeme; ante Concionem, cum Collegâ adjuncto, in primâ Classe scripta emendat. Idem fit etiam finitâ concione, & duabus postremis Horis Saturni, donec Schola dimittatur.

Die Veneris, & Saturni, Horâ Sextâ, Æstate; Septimâ, hyeme; necnon die Veneris horâ tertiâ antemeridianâ, prælegit capita doctrinæ celestis, ex Compendio Theologico Hutteri, ut & Augustanâ Confessione, atq; Formulâ Concordiæ.

Ad tradenda initia Physicæ & Ethicæ, necnon ad Disputationes, tam Logicas, quàm Theologicas, horas sumit extraordinarias.

CON-

2.

CONRECTOR,

Horâ Sextâ, Æstate; hyeme, Septimâ, operas Scholasticas in Secundâ Classe auspiciatur, ac Grammatices Latine præcepta, Etymologia quidem, diebus Lunæ & Martis; Syntaxeos autem die Jovis; & Profodia die Veneris, proponit.

Septimâ, æstate; Octavâ, hyeme; in Primâ Classe, diebus Lunæ, Martis, & Jovis Grammaticam & Syntaxin Græcam, unâ cum autore Græco; die Veneris autem Hebræam Grammaticam, enarrat.

Horâ pomeridianâ primâ, diebus Lunæ, & Martis, in Primâ Classe interpretatur Officia Ciceroniana; die autem Jovis, & Veneris, enucleat Metaphrasin Nonnianam Johannis, vel Homerum, aut alia, ad Græcam Poësin spectantia.

Quam ipsam Lectionem Poëta Græci, sub vespertinis precibus, diebus Lunæ, Martis, Jovis, & Veneris, continuat.

Die Mercurii in Primâ Classe, cum Reçtore, scripta, maximè Græca, & ligatæ Orationis, corrigit.

Die Saturni horâ sextâ, æstate; septimâ, hyberno tempore; prælegit Secundanis Compendium Theologicum D. Hutteri, modo & ordine superius præscripto.

Eodem die à meridie, post vespertinas præces, explicat Secundæ Curie pueris Græcum textum Evangelii.

3.

TERTIUS, vel SUB-CONRECTOR,

Horâ sextâ, æstate; septimâ, hyberno tempore; in Tertiâ Classe initium operarum suarum facit; ac diebus Lunæ, & Martis, Etymologiam; die Veneris nuda paradigmata Græca simpli-

simplicium Declinationum, cum conjugatione verbi τὸν, perpetuâ exercitatione inculcat.

Cum autem die Veneris in templum ingrediantur pueri hujus Classis, & illâ horâ à laboribus liber sit Tertius, sumit horam Octavam astate, nonam hyeme, & prædictam lectionem in Classe suâ absolvit.

Horâ proximè sequente, diebus Lunæ, Martis, & Jovis, tradit Secundanis Epistolas Ciceronis faciliores & selectiores; die Veneris autem nuda Capita Catechismi Græci, cum Symbolis Oecumenicis.

Horâ primâ pomeridianâ in Secundâ Classe, die Lunæ, Martis, & Jovis, Historias sacras Fabricii; die Veneris certum Caput ex Nomenclatore Zehneri, requirit, & Grammaticè examinat.

Horâ secundâ pomeridianâ, diebus Lunæ, & Martis, Tirocinium Rhenii ad Syntacticas Regulas, in Tertiâ Classe, applicat; diebus Jovis, & Veneris, Prosodiam Rhenianam explicat, & exercet.

Die Mercurii corrigit, horis superius præfinitis, in Secundâ Classe, scripta, Quinto Collegâ correctionem adjuvante.

Die Saturni idem, in eâdem Classe, agit, atq; totum illud matutinum tempus huic labori tribuit.

A meridie post Psalmodiam, per vices, cum Quarto, Quinto, & Sexto, Evangelii Latini textum, tertiæ & quartæ Classis pueris exponit.

A festo Paschatis, usq; ad Michaëlis, diebus Mercurii & Sabbathi, horâ Nonâ usq; ad Decimam, per vices anniversarias, explicat extraordinariè principia doctrinæ Sphæricæ.

D

Q V A R.

QUARTUS, qui CANTOR est ad
S. ANDREAM,

Horâ septimâ, æstate; Octavâ, hyeme; Diebus Lunæ, Martis, & Mercurii, exercet pueros quintæ Classis in Declinationibus Donati Rheniani; Die Jovis, Veneris, & Sabbathi, in Conjugationibus.

Suâ quoq; præsentia tumultuationes, & petulantiam cohibet.

Horâ Octavâ, æstate; hyeme, nonâ; diebus Lunæ, & Martis, ex singulis terminationibus, Tertiæ præcipuè Declinationis, exempla quamplurima inflectentes, cum Quartanos, tum Tertianos, audit; die Jovis verò, & Veneris eosdem in verbis Conjugandis ex Sententiis Biblicis exercet.

Die Mercurii, horâ Octavâ, æstate; nonâ, hyeme; ut & die Saturni, eadem horâ; Tertianorum scripta emendat; aut phrasas ex sententiis Evangelicis, vel certâ parte Catechismi, dictatas, recognoscit; sic ut de singulis, vel scriptionis, vel phrasium erratis, & barbarismis admonitos, ad rectum Regularum Syntaxeos usum assuefaciat, omisâq; difficiliorum dicendi Formularum sublimitate, quoad fieri poterit, purè & Latinè eos scribere doceat.

Intermediâ Horâ, iisdem Lectionem ex Latino Catechismo aliquoties interpretatur, ac resolvit; & postmodum ex ordine Quarto deligit, qui postridiè certa Catechismi capita, in templo S. Andreae, publicè recitent.

Horâ Duodecimâ Musicam cum illis, qui ad chorum in templo S. Andreae destinati sunt, exercet; ita quidem ut prioribus duobus diebus præcepta artis locupletiora tradat, eaq; à juven-

juventute exigat, ex posterioribus autem diem Veneris, ad Musicam planam, seu choralem, ut vocant, transferat.

Singulis diebus profestis, horâ tertiâ, majorem Scholasticorum partem, ad faciendas preces vespertinas, in templum S. Andreae deducit, ac communes Scholæ labores, sacrâ Psalmorum modulatione, absolvit.

A festo Paschatis usq; ad Michaëlis, diebus Mercurii, & Sabbathi, à nonâ ad decimam, extraordinariè, & per vices, declarat Primanis & Secundanis initia Arithmetica.

A meridie die Sabbathi, itidem per vices, ac cum Collegis aliis, exponit, post Psalmodiam, textum Latinum Evangelii sequentis Dominicae.

Diebus Solis preces matutinas curat, ac chorum Musicum regit.

5.

QVINTUS, qui est CANTOR
PETROPAULINUS,

Horâ septimâ, astate; Octavâ, hyberno tempore; diebus Lunæ, Martis, Iovis, & Veneris; in Tertiâ Classe examen Etymologicum & Syntacticum, ex Epistolis Ciceronis, à Sturmio Collectis, instituit, ita ut minutiss. as excutiat, & explicet particulas.

Horâ hanc sequente, tradit pueris secunda Classis Grammaticam Græcam Clenardi; & simul, posterioribus maxime diebus, exponit Pericopas Græcas Evangeliorum anniversariorû, ut pueros exerceat, ex iis declinando, & conjugando.

Horâ primâ pomeridianâ, proponit Tertianis sententias Zehneri, indeq; repetitionem instituit, modo & ordine, cujus suprâ facta mentio.

D 2

Horâ

*Horâ Secundâ in Tirocinio Rheniano exercet pueros Quarta
classis.*

*Die Mercurii, toto matutino tempore, in corrigendis scri-
ptis puerorum Secunda classis occupatus est.*

*A festo Paschatis usq; ad Michaëlis, diebus Mercurii &
Sabbathi, horâ nonâ ad decimam, extraordinarie, & per vices,
declarat Primanis & Secundanis initia Arithmetica.*

*Die Saturni, primâ horâ, in Tertiâ Classe particulam La-
tini Catechismi, unâ cum Sententiis Evangelicis, prelegit, & à
pueris, ut prælectamemoriter recitent, exigit.*

Posteâ emendat scripta inferiorum in Secundâ Classe.

*A meridie per vices, & cum aliis Collegis, Latinum tex-
tum Evangelii Dominica sequentis exponit, & analysi Gram-
maticâ illustrat.*

6.

SEXTUS, qui CANTOR est
ad S. NICOLAUM,

*Horâ sextâ, æstate; septimâ, hyeme; generalissima qua-
dam, ac facillima, ex Etymologiâ, diebus Lunæ & Martis; &
ex Syntaxi Rhenianâ, Die Iovis & Veneris, pueris Quarta
Classis instillat.*

*Horâ hanc sequente in eadem Classe, & Die Lunæ, Mar-
tis, Iovis, & Veneris, Evangelium Latinum sequentis Domi-
nicæ, sive totum, sive ex parte, interpretatur, additâ simul
analysi Grammaticâ, illarum in primis sententiarum, quas pueri
memoria mandare debent.*

*Horâ duodecimâ, vel Musicam exercet cum illis, qui ad
chorum S. Nicolai destinati sunt; vel prima Musices principia
Tertianis, & Quartanis, tradit.*

Horâ

Horâ primâ exercet pueros Quartæ Classis conjugando, & declinando, ex Catechismo Latino, prius sufficienter explicato.

Horâ Tertiâ, cum altero Cantore, templum S. Andreae, ad preces vespertinas, singulis diebus ingreditur.

Die Mercurii in Quartâ Classe emendat scripta, & per modos, personas, ac tempora, deducit oretenus phrasas Germanicas, ex Catechismo præscriptas.

Die Sabbathi, in eâdem Classe, horâ sextâ, æstate, septimâ, hyeme; audit pueros, recitantes sententias Germanicas ex Evangelio Dominicali, aut etiam Psalmi aliquam partem.

Posteâ phrasas, ex Sententiis Evangelicis præscriptas, emendat, & latius deducit.

A meridie Tertie & Quartæ Classibus; post Psalmidiam, per vices Latinum textum Evangelii sequentis Dominica exponit.

7.

S E P T I M U S.

Horâ sextâ, æstate; hyeme, septimâ; audit pueros, die Lunæ, Martis, & Mercurii, Catechismum Germanicum, cum questionibus adjunctis; die verò Jovis, Veneris, & Sabbathi, Psalmos recitantes.

Horâ Octavâ, vel Nonâ, die Lunæ, Martis, & Mercurii, audit legentes, & se mutuò interrogantes Vocabula Latino-Germanica ex Donato, necnon eadem ad Declinationes, & Regulas de Genere, accommodantes.

Die Jovis, & Veneris, proponit nuda Catechismi Latini Capita, ut Domi describantur, & memoria committantur.

D 3

Duode-

Duodecimâ, scribendo exercet Lectionarios, & eos, qui recens translati sunt in Quartam Classem.

Primâ rursus, Donati Vocabula se mutuò interrogantes, necnon dicta Biblica, aut Evangelium legentes, audit.

Singulis diebus per totam septimanam, cum Cantoribus ad Psalmodiæ preces templum ingreditur.

Huic etiam incumbit, ut, per vices, cum Cantoribus Responsoria, certis temporibus attributa, tabule inscribat, pro Scholasticis pauperibus, eaq; ipsis præcinat.

8.

OCTAVUS,

Sunt huic, ut & penultimo, commendati novicii, seu tenelli Scholastici, ut moderatè & paternè eos informet, atq; tractent. Unde potius provectioris ætatis viri, habentes testimonium mansuetudinis, & honestæ vitæ, quàm Juvenes, molestiarum impatientes, his locis præficiendi.

Peculiares verò Infimi labores sunt, quòd nimirum,

Sextâ, æstate; hyeme, Septimâ; post preces in inferiori Auditorio absolutas, nuda Catechismi capita ex præcinente ad discentes, atq; diebus Mercurii, & Saturni, recitantes, ordine singulos audit.

Octavâ, vel Nonâ, itemq; Secundâ pomeridianâ, principia legendi, in tabulâ publicâ, oculari demonstratione rudioribus exhibet.

Postmodum Vocabula Rhythmica, vel tabule asscripta, vel prælecta, reposcit.

Primâ à Meridie ad scripturam incipientes, adhibitâ manuductione, in tabulâ publicâ, assuescit.

Idem quoq; Elementariis adscribit Tabula bina rerum
vocabu-

vocabula, cum interpretatione Germanica, quæ & libellis præ-
rorum inscribit, ac eadem ab ipsis, sub vespertinis precibus,
ut memoriter recitent, reposcit.

Die Mercurii, & Saturni, audit pueros in Quintâ &
Sextâ Classibus, recitantes Catechismum.

Atq; hic est Lectionum, & operarum Scho-
lasticarum Ordo, optimo consilio, ac cum consensu
Dn. Consistorialium, eo fine præscriptus, ut ab omni-
bus, qui ad loca destinata in Gymnasium Islebiense
vocati sunt, diligenter & sedulo observetur; id quod
in ingressu officii sui, Collegæ omnes, se facturos esse,
priusquam introducentur, & confirmabuntur, jura-
menti loco, promittent.

Cæterà cum, sicut in aliis negotiis, & Constitu-
tionibus, quædam interdum, juxta temporum varia-
tionem, mutari necessum, pariter hic idem evenire,
& necessitas postulare, aliquando possit, ut quædam
ad Scholæ, atq; Juventutis utilitatem dirigenda, &
corrigenda sint; illud, non privato cujusq; arbitrio,
sed consilio Superintendentis, Rectoris Scholæ, aut
etiam Dn. Consistorialium, & Inspectorum, fieri debet.

IV. LEGES GYMNASII ISLE- BIENSIS,

I. DE INSPECTORIBUS SCHOLÆ.

*Sicut aliæ leges sine executione frustra proponuntur: Ita ne-
cesse est, ut constituentur viri graves & eruditi, qui exe-
cutores*

cutores & custodes sint præscripti ordinis & legum. Quare ex Ministerio & ordine Politicorum, qui Consistorio assident, aliquos deligit, & sibi adjungit Superintendens, qui singulis annis ante examina Rectoris Scholæ, Verno tempore, ante Paschæ festum; autumno, circa festum Bartholomæi, inspectionem, & examen publicum per omnes decurias suscipiant.

Horum verò officium est,

Primò, Inquirere de ordine lectionum in singulis decuriis, num juxta præscriptum modum procedatur, & libelli Methodici constituto tempore absolvantur.

Secundò, explorare progressum Adolescentiæ, quem singuli fecerint in suis locis, ut diligentes excitentur, & segnes castigentur.

Tertiò, aspicere dictata Præceptorum in Classibus superioribus, ea præsertim, quæ in Theologicis juventuti proponuntur.

Quartò, De exercitiis styli, & Latinitatis interrogare, ut cognoscant, num juvenus ferò ad Latinè loquendum & scribendum assuefiat, & quomodo contra delinquentes puniantur, ac mulctæ pecuniariæ collocentur.

Quintò, Rationes de Eleemosynis pauperum Scholasticorum inspicere, ut videant quomodo ille administrentur & distribuantur.

Sextò, De moribus & vitâ Præceptorum inquirere,

1. Ut singulis sobrietas & modestia, ac moderatio digna hoc ordine, præcipiatur.
2. Ut Rector suos Synergos amanter complectatur, & iidem eum reveantur, nec sint inter ipsos similitates.

3. Ut

3. Ut omnibus atq; singulis concedatur liberè proferre, si quid ad communem Scholæ utilitatem facere existiment.
4. Nec quisquam de publicis constitutionibus aliquid mutet privato arbitrio, sed utatur eâ in re consilio Reçtoris, & consensu Inspectorum.
5. Ut seriò & graviter præcipiatur, ut alter alterius auctoritatem tueatur. Si quando alicujus ex Collegis inclementer mentionem fieri apud alios audiverit, honesto eum testimonio ornet, nec aliis ipsos insectandi occasionem præbeat.
6. Si quis in alio aliquid desiderat, placidè & candidè eum admoneat. Non alant clandestina odia, aut sese obtrectationibus mutuis deforment, sed fraternè & placidè conversentur, ne apud alios malè audiant.
7. Non spargant apud alios querelas de iis, quæ ipsis displicent in Scholâ: Sed id ad Inspectores Scholæ constituto tempore referant.
8. Nullus extra urbem, insalutato D. Superintendente, vel Reçtore, peregrè iter faciat: Et si quando necessitas id postulat, sufficiat alium, qui operas usitatas nomine ipsius obeat.
9. Vitentur, quantum fieri potest, crebra convivium nuptialia, ac quoties honestè abesse non possunt, dent operam, ut alius ipsorum vicem in Scholâ expleat.
10. Operas Scholasticas diligenter & fideliter præstent, maturè adsint definitis horis, nec ante absolutum suum pensum exeant.
11. Tempus non confabulationibus mutuis inutiliter terant, nec privatis negociis impendant.

E

12. Disci.

12. *Disciplinam scholasticam pari curâ omnes tueantur, & sint opera eorum, ut Paulus præcipit, οὐκ ἐπιβασινά.*
13. *Disciplina scholastica sit severa: Sed modus in pulsationibus & verberibus, ita ut metus & reverentia incutiatur juventuti, non carnificina exerceatur ad affligendam valetudinem, vel ad afferendam injuriam corpori.*
14. *Vestitu utantur honesto, non militari, nec sectis caligis.*
15. *Si quis contrarium fecisse cognoscetur, primò verbis corripiatur, & si non destiterit, ab officio removeatur.*
16. *Post Examina Dn. Inspectores alternis vicibus, alter Latinam, alter Germanicam, ad Scholasticos instituit adhortationem.*

2.

GENERALES ADMONITIONES de officiis & moribus Collegarum & Scholasticorum in templo.

1. *Facto pulsu campanæ, ad congressus publicos templi, totus cetus Scholasticus maturè adsit, & à Collegis destinatis utriq; choro deducatur.*
2. *Solennibus feriis Apostolorum omnes Collegæ & Scholastici ad templum S. Andreae sunt obligati, & unà ingrediantur, non alii post alios, suo arbitrio, ex longo intervallo vix tandem compareant. Idem intelligi debet de diebus Mercurii. Tametsi Collegæ, qui ante concionem, emendatione scriptorum occupati fuerunt, non adeò strictè obligantur.*
3. *Diebus Dominicis, & aliis solennibus festivitatibus, uterq; chorus suo loco adsit. Veruntamen prius in Schola classes*
conve-

convenient, ut distributio equalis fiat, & neuter Cantor alteri suos pueros subtrahat.

4. Quando ad libros Cantionales, seu pulpitem est accedendum, non solum scholastici, sed etiam Collegæ toti agmini se aggregent, ac suo exemplo pueritiam ad modestiam flectant, nec seorsim angulos querant, aut nonnulli, ostentandi gratia, privata libellorum lectioni, intenti sint, neglectis iis, quæ in præsentia sunt agenda.
5. Interea dum res sacra peraguntur, juvenus accuratè observetur, ne confabulationibus, strepitu, & aliâ morum incivilitate turbas excitet, homines offendat, & piam aliorum intentionem interturbet. Ad quam rem opus est, ut Corycæi constituentur, qui immodestos assignent. Et omnes Collegæ pari curâ suo loco petulantiam enormem coercerent, ac post conciones, idoneo tempore, justâ animadversione in pueros suarum Classium utantur.
6. Cantores, non tantum Musicam figuralem, ut vocant, exercent, sed & operam dent, ut cantiones chorales rectè & decenter decantentur. Ideoq; in Scholâ certos dies his exercitiis tribuant.
7. Cantiones sacrae, non nimia festinatione precipitentur, sed moderatio & gravitas adhibeatur, quæ ad afficiendos hominum animos, multum facit. Præsertim autem Germanica Cantiones, ita ad populum attemperentur, ut assequi eas possit, nec deformis discrepantia inter chorum & Ecclesiam existat. Ideo necesse est Cantores stare ad pulpitem, & tactu gubernare Juventutem in canendo, ne præeant reliquæ multitudini.
8. Mensuratio cantus seu tactus, ut vulgò dicitur, uniformis & æquabilis servetur. Crebra enim illius permutatio per

se insulsa, & indecora est, animum alibi peregrinantem, & non intentum presentibus rebus indicat, & pueritiam turbat, unde confusio concentus existere solet.

- 9. Vitetur & nimis sonora intonatio cantus, ut vocant, & verberatio pulpiti, quæ harmoniam deformant, & delicatas aures offendunt.*
- 10. Finitis sacris Scholastici junctis paribus, sine strepitu, clamore, & confusâ concursatione egrediantur. Et Collegæ suas classes ordine comitentur, ac tumultuantes inter excundum cohibeant.*
- 11. Similiter & in deducendis funeribus singuli Collegæ certam partem gregis scholastici observent. Ideoq; distinctis intervallis subsequantur.*

DE SCHOLA.

- 1. Auditâ horâ, quâ opera scholasticæ inchoari solent, universa pubes scholastica in tempore adsit.*
- 2. Initium studiorum sumatur ab invocatione Dei, & Bibliorum lectione, cui recitationi omnes interesse decet, Praeceptores quoq; quibus primarum horarum labores impositi sunt.*
- 3. Manè caput Biblicum ex Latino textu legatur. A meridie idem repetatur ex translatione Germanicâ Lutheri.*
- 4. Materie preceationum accommodentur tempori, ita ut circa Natalem Christi, Psalmus: Quare fremuerunt gentes: Tempore, quo Ecclesia considerat historiam Passionis Christi, caput quinquagesimum tertium Esaia: Et aliis temporibus, Psalmus, Miserere mei Deus &c. recitetur.*
- 5. Horæ certis exercitiis destinatae, seriò illis impendantur, nec*
teran-

- terantur exigendis panis, scriptionibus, vel aliis rebus peregrinis, quæ reiicienda sunt in aliud vacuum tempus.
6. Dabitur opera, quantum fieri potest, ut libelli ordinarii, uno semestri absolvantur, nec diutius explicatio eorum protrahatur, ne per Examen explorati, & in alias classes translati, in medium vel finem incidant, & mutilas particulas sine fructu audiant.
 7. Ne quis temerè novum aliquem repetendi modum introducat; Sed de eo cum Rectore placidè conferat, & consilii sui rationes exponat. Rector verò, quæ utilia sunt, non propterea reiiciat, quòd antea insolita fuerint; Usus enim docendi Magister est; Multò minus alter alterum in auditorum præsentia perstringat.
 8. Cum tempus Examinum instabit, Præceptores admonebunt discipulos, ut se præparent; Ipsi quoq; intermissis per unam septimanam Lectionibus, exercebunt eos, ne prorsus imparati inveniantur, & singulis seriò injungent, ne ab Examinibus hiscè absint.
 9. Quæ in usum communem Scholæ comparata sunt, nominatim assignentur.

3.

LEGES DE OFFICIIS, ET MORIBUS Scholasticorum, nimirum,

I.

IN TEMPLIS.

1. Singuli ad campanæ pulsum, manè & post meridiem, diebus Dominicis & profestis in Scholâ adsint, ut maturè cum Præceptoribus templa ingrediantur.

E 3

2. Quili-

2. Quilibet templum, ad quod destinatus est, ingrediatur, nec, nisi veniâ à Præceptoribus impetratâ, aliud adeat, aut è suo emanat.
3. Tunicis indutis, non rejectis in humeros, more idiotarum, vel in Scholam, vel templa veniant scholastici.
4. In omni processu eant bini, ad nutum Præceptorum, modeste incedentes, ordine continuo, non interrupto, sine strepitu & garritu.
5. In templis loca destinata scholasticis, sine tumultu & indecoris tumultuationibus occupent, alia aliis relinquunt.
6. Canentes pulpito assistant, æquabili voce ductum Cantorum attentè sequentes.
7. Absint inter canendum confabulationes, & lectiones in libris, sive sacris, sive prophanis. Gesticulationes, circumspæctiones, & omnes motus indecori, & immodesti vitentur.
8. A pulpitis discedentes modeste & taciti consideant, ne strepitu alios auditores offendant.
9. Extra chorum egrediatur nemo, nisi quibus, ut conciones sacras scribendo excipiant, permissum est.
10. Lectiones Evangeliorum & sacrorum textuum, qui pro concione explicantur, stantes capite detecto audiant.
11. Ad nomen JESU genua omnes flectant.
12. Conciones sacras omnes attentè & taciti audiant, nec vel dormiant, vel res alias agant.
13. Cùm preces à sacerdotibus, & verba sacra Cæne recitantur in genua procumbant omnes.
14. De rebus sacris, si quis scurriliter loquetur, aut ad jocos profanos verba sacra transtulerit, acriter punietur. Characteribus, aut incantationibus magicis si quis lusit, pro arbitrio Præceptorum mulctam gravem incurret.

15. In

15. In præceptorum nutus intenti sint scholastici, ne in templis
plagis cum indecoro corrigendi sint.

16. Concionibus finitis rursus cum modestiâ pulpita accedant,
& strepitus, quantum fieri potest, vitent.

17. Pietatem sedulò colant omnes, & justo tempore, cum Ec-
clesiâ, sacrâ cenâ utantur.

18. Templis nullus ante finem omnium sacrorum, nisi impetra-
tâ veniâ, exeat.

19. Semper sacris finitis, rursus bini, modestè, ad Præceptorum
nutum, per januam consuetam exeuntes, in scholam omnes
revertantur. Furtim disfluentes, aut cum indecoro cursi-
tantes, puniantur.

20. Cum nuptialia sacra canuntur, Cantoribus obtemperent
scholasticis, nec sine ipsorum permissione ante finem se sub-
ducant.

II.

IN SCHOLA.

1. In puncto horæ adsint, ut cum Præceptoribus preces usita-
tas peragant.

2. Quas ordo legendi caput ex Bibliis sacris postulat, matu-
rius adsint, ut prius inspecto libro, sine hesitatione, &
distinctè textum sacrum pronuncient.

3. Emanentes, aut negociis necessariis impediti, alios in loca sua,
qui hoc legendi munus obeant, constituent.

4. Venientes in scholam, non in atrio subsistant confabulationi-
bus indulgentes, sed conclave solitum adeant, & taciti
sua loca occupent.

5. Omnes circumcursationes in scholâ prohibita sint.

6. Lectiones Præceptorum attentè audiant, confabulationes &
nugas

nugas alias omittant. Dictata fideliter assignent, & quae observatu digna in explicatione autorum dicuntur, non negligent.

7. Otium in scholâ nullum sit. Aut lectionibus audiendis, aut repetitionibus privatis, si Praeceptores absunt, incumbant pii scholastici.
8. Memoriter recitantes, non insidiosè agant, sed expeditè, & apertè quae didicerunt, pronuncient.
9. Insidias juvantes, & in aures recitantium insusurrantes, à Praeceptoribus puniantur:
10. Interrogati non mussitent, sed clarâ voce respondeant. Apertus enim sermo ingenuitatis signum est.
11. Praeceptoribus è scholâ evocatis, aut tardiùs revenientibus, murmuraciones & clamores absint.
12. Latinè in scholâ, & aliis locis, scholastici superiorum ordinum omnes loquantur.
13. Latinè interrogati, Latinè respondeant.
14. Scripta Praeceptoribus exhibenda suo Marte componant, & in his styli exercitiis omnes ingenii vires experiantur.
15. Germanicè loquentes, & contra bonos mores delinquentes, à Corycaeis observati, pro arbitrio Praeceptorum pœnas luent.
16. Si qui se pecuniâ à plagis redemerint, ea in usum publicum transferatur.
17. E Scholâ nemo sine veniâ discedat.
18. Dimissi sine strepitu, sine rixis, sine clamore, taciti, exeant.

III.

IN PLATEIS.

1. Vitetur omnis petulantia, scholastico catu indigna.
2. Nullus

2. Nullus in loco publico, more idiotarum, ludat.
3. Non decertent rixis, pugnis, aut clamoribus.
4. Intermittantur stationes, & confabulationes.
5. Honestis viris, matronis, & virginibus, debiti honores exhibeantur.
6. Secus facientium nomina Corycæi annotent, & Præceptoribus offerant.

IV.

IN FUNERUM DEDUCTIONIBUS.

1. Omnes ad funebres ceremonias adhibendi, in Scholâ conveniant.
2. Eant ordine junctis paribus, & modestè; vitent strepitus, confabulationes, risus, discursationes, nec relinquantur intervalla, prioribus celerius procedentibus, posterioribus verò tardius subsequenteribus.
3. Prætereuntes ades defuncti, & cætus hominum honestorum, exhibeant ipsis reverentiam nudatione capiti.
4. Omnes pariter canant: ita tamen, ne harmonia, aut concertus turbetur, prioribus vel citius, vel tardius canentibus, non pari modo respondentibus posterioribus.
5. Ad locum sepulture similiter quilibet suâ voce adjuvet præcipientem, Idq; eâ animi devotione, ut appareat, singulos cogitare de horribili mortis spectaculo, peccati magnitudine, & mortuorum resurrectione.
6. Post humationem eodem ordine, & modestiâ, ut progressi sunt, vicissim discedant. Corycæi hic quoq; sint memores sui officii, ut immodestiores, in Scholam reversi, pœnas luant.

F

IN

V.

IN COLLECTIONE ELEEMOSY-
narum, & exercitiis Musicis in pla-
teis, aut conviviiis.

1. Diebus Dominicis, quando dividuntur Scholastici pauperes, quilibet ei cœtui se adjungat sine tergiversatione, cui à Rectore est destinatus.
2. Eant ordine junctis paribus, sine clamoribus, confabulationibus, & tumultu, tranquilli, & modesti, ut cives, ad liberalitatem, & amorem ordinis scholastici, invitentur.
3. Panes acceptos fideliter in scholam deportantes tradant Oeconomo ordinario.
4. Pecuniam datam, diebus Dominicis, pixidibus indant, & offerant dispensatori.
5. Nemini seorsim licitum sit, ullibi in oppido ostiatim cibum querere.
6. Pecuniam, singulis anni quadrantibus à Præceptoribus acceptam, in bonos & necessarios usus collocent.
7. Figuralem exercentes Musicam, circa Natalem Christi, distribuantur in duos choros, utq; omnia modestè, & rectè fiant, sibiipsis leges ferant, ita tamen, ut Reçtori, & Collegis prius eas exhibeant.
8. Cum illa decantationes fiunt, non provocent scholastici dicteriis, aut contumeliis ebriosos, aut alios obviam sibi factos. Interrogati, aut salutati, placidè & modestè respondeant.
9. Pias tantùm, honestas, & castas cantiones, temporiq; locis, & personis, convenientes deligant.
10. Vocati in convivium honestorum hominum, dent operam, ut scholæ, Præceptoribus, & sibiipsis, magis honori, quàm oneri

oneri sint. Ideoq; nimias ingurgitationes cibi & potus, petulantiam, & mores agrestes, vitent. Cantores de officio suo parum moratos admoneant, nolentes obtemperare deferant ad Præceptores.

11. Ultra nonam non canant, dimissis choris, quilibet in suum hospitium se recipiat.

12. Uterq; Cantor pecuniam fideliter colligat, priusquam suos Con-centores dimittat, numeret, & postridiè D. Rectori tradat.

VI.

IN ÆDIBUS ET HOSPITIIS.

1. Scholastici, memores mandati divini, honorent suos parentes, ac Dominos, sint officiosi, agnoscant ingentia eorum beneficia, & tribuant debitam obedientiam.

2. Affuescant maturè surgere. Matutinum enim tempus studiis convenientissimum est, ut dicitur: Aurora amica Musis. Porrò lotis manibus, capilloq; pexo, Gratias agant Deo, pro nocturnâ custodiâ, & ardentè ab eo successus, & gubernationem in studiis, petant. Deinde caput in novo, aut veteri Testamento, legant, & ediscant prælecta in Scholâ.

3. Scripta sua tam ligata, quàm soluta orationis, domi diligenter composita, & descripta, in Scholam inferant.

4. Ex Scholâ reversi, non abjiciant libros, sed sint diligentes in repetendis lectionibus.

5. Diebus Mercurii & Saturni, quando conceditur vacatio aliqua ab operis Scholasticis, domi se continentes, audita repetant, scripta componant, vel ipsi aliquid effingant.

6. Non turbent tranquillitatem Oeconomiae rixis, & petulantia; non expetant singulares delicias, sed contenti sint cibo, & potu, quo fruitur reliqua familia.

7. In his, quibus pädagogia est commissa, requiruntur pietas, diligentia, fidelitas, industria, honestas vite, & comitas.
8. Pädagogi diligenter assuefaciant pueros, ad discenda prima initia Catecheseos, precatiunculas communes, Psalmos insigniores, & dicta scriptura, quæ recitabunt ad mensam, Item manè, ac vesperi.
9. Deinde pro ratione ingeniorum & profectus, exerceant pueros Legendo, Scribendo, & repetendo ea, quæ in Scholâ audiverunt.
10. In Templum, & Scholam comitentur eos, & inde reducant domum, nec solos eos relinquunt, ne alicubi lædantur, aut malè agant.
11. Domi in pueros eis animadvertere licebit, non in Scholâ: Ita tamen, ut in sumendis pœnis servant modum, nec lædant tenera corpuscula.
12. Si quis negligentior fuerit in administrandâ pädagogiâ, graves pœnas dabit; & nisi sequetur emendatio, alteri pädagogia à Rectore commendabitur, ne claudatur beneficentia civium, & schola malè audiat.
13. Non vagentur extra ades Scholastici, sine voluntate hospiti, & præfinito ab eis tempore, ad suas operas redeant, si quid alicubi eis est expediendum.
14. Nemini permissum sit pernoctare in ædibus alienis, nec vesperi, pro arbitrio, nisi urgente causâ honestissimâ, evagari extra hospitia.
15. Post cœnam unâ atq; alterâ horâ elapsâ, cubitum eant, nec vigilias in multam noctem extendant. Nam intempestiva studia, tam ingenii, quàm corporis, vires debilitant.
16. Hic quilibet suum vicinum observare debet, & peccantem judicare Corycæis Classium, ut accusetur apud Præceptores. Hoc ipso, Deo & Præceptoribus rem gratam, & sibiipsis salutarem, singuli præstabunt.

DE

VII.
DE OFFICIIS ET MORIBUS
communibus.

Recens advenientes non occupent hospitia, sine consensu Præceptorum, multò minus in occupatis diu deliteſcant, negligentes operas ſcholasticas, ſed ſtatim, ſe recipi, petant, ac obedientiam juxta leges promittant.

Porro cum vitæ communis regula, & norma Legum optima, ſit Decalogus: Juxta

I. Præcept.

1. *Omnibus ſeverè prohibita ſint blaſphemia, & Magia.*

II. Præcept.

2. *Diræ, execrationes, levia juramenta, & ſimiles abuſus nominis divini.*

III. Præcept.

3. *Diebus Dominicis, aut ſummis feſtis, nemo peregrinationem ſuſcipiat, niſi graviffimis de cauſis; Sed ſinguli Deo gratias agant, pro conſervatione miniſterii, ſcholæ, & aliis beneficiis, cum totâ Eccleſiâ.*

IV. Præcept.

1. *Præceptores omnes & ſingulos ament, revereantur, debitamq; illis obedientiam præſtent, patienter ferentes animadverſiones, admonitiones, & exhortationes.*

2. *Qui propriis ſumptibus hic vivunt, habeant Præceptorem privatum ex collegis Scholæ.*

3. *Peregrini nunquam in patriam, aut aliò, proficiſcantur, niſi impetratâ veniâ à Rectore, & illo, cui inſpectio ſuæ Clafſis peculiariter demandata eſt.*

4. *Omnes, qui in alia loca, ſtudiorum cauſâ, proficiſci cogitant, prius conſulant eâ de re Præceptores, & impetratâ diſmiſſione, Præceptoribus diligenter gratias agant.*

V. Præcept.

1. Vitentur injuriæ, rixæ, provocationes, monomachia, verberationes, gestationes pugionum, sicarum, jaculationes globorum plumbeorum, Ac si quæ inter se habent dijudicanda, ea Præceptoribus committant.
2. Fugiant lotiones, & natationes in frigidis, quibus insunt maxima pericula.
3. Abstineant ab esu crudorum circa Julium.
4. Non conspiciantur in areis glacialibus tempore hyberno.
5. Sint & prohibiti jactus pilarum ex nive confectarum.

VI. Præcept.

1. Ab omnibus obscenis, & scurrilibus sermonibus sibi temperent.
2. Utantur vestitu digno scholasticâ personâ, non lacerato, aut dissecto, more militum.
3. Fugiant tabernas & ænopolia. Item symposia & convivium.
4. Nemo intersit nuptiis sine veniâ, quæ non, nisi Sanguinis, aut affinitatis ratio postulet, concedatur. Impetrantes veniam, antemiridiano tempore suum in Scholâ officium faciant.
5. Interdictum quoque sit saltationibus, publicis, & privatis, jocioribus cum virginibus, matronis, ancillis, clandestinis promissionibus futurarum nuptiarum, nocturnis vociferationibus, & discursationibus.

VII. Præcept.

1. Vitent Scholastici furta, fraudes, deceptiones, permutationes, venditiones & donationes librorum, & aliarum rerum, mutationes pecuniæ, & similes contractus.
2. Lusus alearum, tesserarum, chartarum, & similes, in quibus pecunia, aut aliud quippiam deponitur, ne quidem nominentur inter scholasticos.

3. Non

3. *Non destruant bona schola. Si quis verò fregerit, aut destruxerit aliquid, suo precio id refici curet, ac insuper pœnas det suæ petulantia.*
4. *Non exhibeant Comœdias, aut spectacula, soli sine Præceptoribus, nec cum alienis ab ordine scholastico.*

VIII. Præcept:

1. *Studeant veritati, & detestentur mendacia, convitia, reprehensiones nationum contumeliosas, famosos libellos, confæderationes, & conspirationes.*
2. *Non conversentur cum osoribus, aut contemptoribus ordinis scholastici.*
3. *Deniq̃, quilibet ita se gerat, ne sit dedecori, vel Præceptoribus, vel sibi, vel reliquo catui scholastico.*
4. *Discessuri, non agitent convivia, invitatis popularibus, vel aliis, nec cum gladiis in oppido diu vagentur, nec alios ab exercitiis Scholasticis avellant. Si quid æris alieni contraxerunt, solvant, ut cum laude discedere possint.*

VIII. DE LUSIBUS.

1. *In lusibus observentur, genus, tempus, modus, locus, persona.*
2. *Lusus honesti sint concessi, ut pilarum, cursuum, trochorum, & similia. Turpes, & periculosi omnino sint prohibiti.*
3. *Ultra tempus vacationis à studiis non extendantur.*
4. *Non habeant lusus in locis publicis, sed separata sibi dispiciant, ut sine offensione aliorum fiant.*
5. *Inter ludendum Latine loquantur, & vitent rixas, ac pugnas.*
6. *Cum sui ordinis hominibus ludant scholastici, non cum ardelionibus ignavis.*
7. *Iunioribus sit data copia ludendi, ubi cognoverint suas lectiones, etiam extra vacationem à studiis; Reliquis nullo modo.*

DE

IX.

DE PRÆFECTIS CLASSIUM, CORY-
cæis, & Custodibus ut vocantur.

1. Præfecti Classium omnium primi adsint in scholâ, vel si ipsi adesse non possunt, aliquem substituunt.
2. Absentes, & tardè venientes, in tabulas referant, & Præceptoribus exhibeant.
3. Si qui tumultus in scholâ excitant, aut aliud quippiam contra leges delinquant, diligenter inscribantur.
4. Si verò ipsi, vel negligentiores, vel petulantiores fuerint, gravissimas pœnas dabunt.
5. Hos adjuvabunt in morum inspectione Custodes, quorum officium sit, singulis diebus Mercurii & Saturni mundare scopis auditoria, conficere ferulas, easque, quoties habetur schola, in singulas classes distribuere.

X.

DE POENIS VIOLANTIUM LEGES.

Frustrâ laboratur in condendis Legibus, nisi sequatur executio.

1. Pœnae igitur sumantur quotidie a transgressoribus, pro modo delictorum.
2. Si qui incuriâ, aut aliis rebus præoccupati, peccabunt, qui alioquin Præceptoribus probârunt suam modestiam, & diligentiam, poterunt, vel veniam imprudentiæ, vel saltem mitigationem pœnarum, mereri.
3. Qui verò manifestum disciplinæ contemptus præ se ferunt, aut datâ operâ, spe impunitatis, delinquant, se verius castigandi erunt.
4. Quorum petulantia nullis pœnis emendari poterit, de Con'silio Dn. Inspectorum, ex societate scholasticâ ejiciantur, tanquam membra incurabili morbo affecta, ne pars sincera trabatur.
5. Si verò tales diutius in oppido vagabuntur, & seducent etiam alios, magistrus eorum auxilium implorabunt Præceptores, ut eiusmodi pestes juventutis penitus removeantur.

De cæteris consulantur Dn. Inspectores,
aut etiam Consistorium.

••(?)••

F I N I S.

1077

A.H. 129, 326

X 2005



Σὺν τῷ Θεῷ

GYMNASIUM ISLEBII

Illustribus Comiti

MANSFELDENSIS

In Patria

L V T

ΣΚΙΑΤ

Antiquis STATUTIS
& ad statum præsentium
modata; nunc auctoritate
publici juris

Ex Officina typographica
Islebii per Pe...

ANNO MDCCLXXV



Ya
4718

11.525

